

**Franciscus BARGIEŁ SJ\***

**BENEDICTUS DOBSZEWICZ SJ (1722–c. 1794)  
EIUSQUE PARTES IN PHILOSOPHIA SOCIETATIS  
JESU IN POLONIA SAECULO XVIII RENOVANDA**

Sub hoc titulo, sed lingua polonica expresso, dissertatio 57 pagina-  
rum publicata est a Facultate Philosophica SJ Cracoviae anno 1980 in  
opere collectivo: *Studia z historii filozofii* [Studia de historia philosophiae], cuius hic et nunc breve summarium pro „Foro Philosophico”  
eiusdem Facultatis periodico proponitur.

En huius studii contentum: 1) Informationes bibliographicae;  
2) Brevis biographia Auctoris; 3) Relatio de eius doctrina philosophica:  
logica, metaphysica et physica; 4) Animadversiones generales.

**I. Bibliographia**

Informationes bibliographicae comprehendunt: bibliographiam obiec-  
tivam ac subiectivam nec non praecipuas de Auctore eiusque scriptis  
hucusque prolatas opiniones.

De B. Dobszewicz scripserunt fere omnes encyclopaediae in Polonia  
pluresque (supra viginti) auctores non solum Polonae gentis (Bieliński,  
Bieńkowska, Bednarski, Chmaj, Darowski, Estreicher, Jankowski, Ko-  
tlarski, Kwiatkowski, Narbutt, Poplatek, Smoleński, Struve, Szybiak,  
Wąsik), sed etiam Lithuaniae (Čepienė, Petrauskienė, Plečkaitis).  
Quorum de ipso opiniones in tres sententias reduci possunt: positivam  
ipsi faventem (Bieliński, Jankowski), valde negativam, rigorose criticam  
(Struve, Wąsik) et medium, mediocriter criticam, positivas qualitates  
agnoscentem (Chmaj eiusque sequaces seu omnes alii recensentes).

---

\* Schola Universitaria Philosophiae et Paedagogiae *Ignatianum* Cracoviae in Polonia.

Tres pronuntiatarum opinionum notatu dignae visae sunt. A Bieliński Dobszewicz putatur esse „primus philosophiae reformator secundum moderniores exigentias”, utique inter philosophos Societatis Jesu in Polonia. Iuxta Chmaj opinionem est ille „unus de insignioribus Societatis Jesu sodalibus in Polonia XVIII saeculo, qui in suis scriptis philosophiam eclecticam tradebat, sed sat autonomice elaboratam, non iurans in verba Aristotelis veterumque scholasticorum”. Dictus est igitur „praenuntius ac propugnator in Polonia recentiorum philosophorum idearum”, Cartesii praesertim nec non Wolffii ac Fortunati de Brixia.

Pro Wąsik est ille „bonum exemplar positivae receptionis recentiorum idearum in scholis Societatis Jesu una tamen cum critica earum recensione”. Struve etiam in suo negativo de eo iudicio non dubitavit agnoscere eius merita in philosophia Polona evolvenda in scholis Societatis Jesu. Eius condicio ipso operante in melius verti coepit.

Bibliographia s u b i e c t i v a continet duos libros plurium paginarum (490 et 594) atque aliquot thesum collectiones minoris extensionis. Sunt autem:

1) *Placita recentiorum philosophorum explanata nec non phaenomenis physicis, demonstrationibus mathematicis, resolutionibus problematum, observationibus ac experientiis, adornata [...] a P. B. Dobszewicz SJ. AA. LL. et philosophiae doctore, eiusdemque ac matheseos professore. Novogrodeci a. 1760. Vilnae [...] 8°, 490 pag.*

2) *Praelectiones logicae ex probatis veterum recentiorumque placitis conscriptae in usum Philosophiae auditorum a P. B. Dobszewicz e SJ. [...] Philosophiae Doctore eiusdemque Professore. Vilnae [...] 8°, 594 pag.*

3) *Theses philosophicae ex physica generali. Propugnabuntur in Coll. Acad. Vilnensi SJ. Praeside R.P.B. Dobszewicz SJ [...] eiusdem scientiae actuali Professore. A. D. 1762 [...] 4°, 5 pag.*

4) *Theses philosophicae [...] propugnandae [...] in Alma Acad. et Univ. Vilnensi [...] Praeside R.P.B. Dobszewicz SJ [...] Anno 1763, 30 pag.*

5) *Propositiones philosophicae ex universa philosophia. Propugnabuntur in Col Acad. Vilnensi SJ. Praeside R.P. B. Dobszewicz SJ [...] actuali Professore nec non Inclytæ Philosophicae Facultatis Seniore. A. 1763 Mense Maio Die 7, 4°, 56 pag.*

6) *Propositiones philosophicae ex universa philosophia [...] (ut supra). A. 1763. Mense Jun. Die 20, 28 pag.*

## II. Biographia

Benedictus Dobszewicz natus est in Samogitia (Żmudź), Lithuaniae districtu, circa Kroże (Kražiai) anno 1722, 12 vel 21 Martio. Societatem Jesu ingressus est 9 Augusti a. 1739, scholis inferioribus (grammaticalibus) mediisque (humanioribus) antea confectis.

Biennio in Vilnensi novitiatu peracto per annum suam humanisticam institutionem complebat in Slucensi Collegio SJ. (Słuck) statimque paedagogicum suscepit biennum in infima classe grammaticae in duobus Collegiis SJ, primum in Mińsk, deinde in Nieśwież, Albae Russiae oppidis (1742–1744).

Quo absoluto propria triennalia agressus est studia philosophica in Novogrodensi Collegio SJ (Nowogródek) annis 1744–1747 iuxta illius temporis programma, operam dans successive studio logicae, metaphysicae atque physicae (philosophiae naturali) una cum mathesi ac ethica, Ignatio Łażiewski SJ preceptore usus.

Ante quadriennium proprii theologici studii in Vilnensi Academia (1748–1752), ubi quattuor studebat theologiae speciebus: scholasticae, positivae, morali et controversae, unum adhuc annum insumpsit in grammatica summi gradus docenda in Krožensi Societatis Jesu Collegio.

Studiis persolutis ordinationeque sacerdotali suscepta peregit per annum sic dictam „tertiam probationem” Vilnae (1752/53).

Reliquum vero suae religiosae vitae (circa viginti annos) potissimum consecrabat variis disciplinis docendis (mathesis, historia, philosophia per 6 annos, theologia moralis et scholastica, ius canonicum) in variis Collegiis SJ (Kroże, Nowogródek, Academia Vilnensis) nec non administrationi sive scholarum sive ecclesiae una cum multis functionibus in Vilnensi Academia adimplendis (Assistens, Senior, Decanus, Secretarius, Procancellarius seu Vice-Rector). Cancellarii seu Rectoris munus erat in manu Episcopi Vilnensis.

In litteris officialibus Romam ad Curiam Generalem SJ statutis temporibus e singulis domibus SJ mittendis recensebatur Dobszewicz, prout sequitur: „est quattuor votorum sollemnum professus, artium liberalium, philosophiae ac theologiae doctor, vir acri ingenii, in litteris optime versatus, linquam latinam polonamque bene callens, aliquatenus vero lithuanam, complexionis cholericæ, ad omnia officia muniaque Societati propria aptus”.

Societate Jesu a Clemente XIV suppressa (1773) adhuc ad minimum viginti annos (1774–1794) vixit ut plurimum in didactico occupatus labore sub auspiciis Commissionis Educationis Nationalis, in Universitate Vilnensi primum, postea in Samogitia districtu (Żmudź) qua scholarum visitator vel qua scholae in Kroże director. Annus et locus eius mortis ignotus manet.

### **III. Doctrina philosophica**

Continetur illa, ut e bibliographica descriptione patet, duabus in amplis libris et aliquot brevioribus thesius collectionibus.

Generatim loquendo radicale eius argumentum est philosophia scholastica, in logicam, metaphysicam ac physicam tripartita, quae tamen eclecticō tractatur modo, scholasticum corpus ideis aliunde desumptis augens atque moderniori exprimens forma.

Trium philosophiae scholasticae partium latissime elaborata est logica, quae extensione sua alias disciplinas superat, physicam aliquatenus, metaphysicam vero multipliciter, cui minimum tantum attentionis tributum est.

### **Logica**

Logica in sex distributa est partes: praeliminarem, apprehensivam (de apprehensione ideisque), iudicialem (de iudicio), discursivam (de ratiocinio), methodologicam (de methodo) et „exercitii” cum selectis disputationibus de difficilioribus logicis quaestionibus.

Logicae contentum ut plurimum cum scholastica quadrat traditione, duabus forte quaestionibus exceptis, ubi ideas agnoscit innatas quoad omnia obiecta immaterialia nec non methodum analyticam, inductive-experimentalem praeter synthetico-deductivam scholasticae propriam.

#### a) Logica praeliminaris:

In prima logicae parte explicantur notiones scientiae, philosophiae et logicae una cum earum muneribus in cognitionis processu adimplendis. Scientia concipitur ut cognitio evidens ac certa valensque ea, quae dicit probare seu ut habilitas sua enuntiata demonstrandi. Philosophia vero putatur scientia scientiarum, quae ab aliis scientiis profunditate rationum sua asserta comprobantium distinguitur. Generales eius directivae duae statuuntur: scientia philosophica debet esse evidens certeque probata nec non vitae inserviens seu in praxi utilis.

Logica quoque dicta est scientia practica tamquam philosophia rationalis seu ars mentis functionum apte directiva, ut veritatis cognitioni serviant. In particulari logicae est rectos conceptus construere, verbis eos exprimere, eos secum comparare iungereque in iudiciis sententiisque, vera cogitata dictaque a falsis discernere, ratiocinia discursusque intentionales constituere ad veritatem inveniendam vel demonstrandam.

#### b) Logica apprehensiva (conceptualis):

Agitur hic de prima mentis operatione, quae in conceptuum seu idearum effectione consistit. Conceptus et idea promiscue adhibentur. Potissimum autem idearum diversificationis quaestio movetur cum

speciali conceptuum universalium attentione nec non quaestio eorum ad extra expressionis per convenientia signa, vocabula, locutionem.

Ideae genesi earum spectata in tres divisae sunt species: innatas – a Deo menti infusas, adventitias – ex experientia haustas atque factitiae – ex adventitiis ad arbitrium constructas.

Aliae quoque idearum divisiones speciesque adductae et explicatae sunt et quidem plures comprehensionis earum ratione (clara, obscura, distincta, confusa, completa, incompleta, simplex, composita, propria, adiectitia) ac tres quoad earum extensionem seu respectu obiectorum, quae repraesentant (singularis, particularis, universalis).

Accuratio rem pleniora considerationem conceptus universales obtinuerunt, qui „universalia” dici solent suntque maximi momenti in cognitione humana, scientifica praesertim, efformanda. Ab Auctore dupli sub aspectu deliberantur: tamquam „praedicabilia” seu 5 modi praedicandi (genus, species, differentia specifica, proprium, accidens) et „praedicamenta” seu 10 categoriae realitatis modique existendi (substantia, quantitas, qualitas, relatio, ubi (locus), quando (tempus), situs, habitus, actio, passio) ad Aristotelis mentem.

Aliae etiam moderniores divisiones logico-ontologicae, minore clausae numero, a Cartesio aliisque propositae commemoratae sunt sicut et conceptus transcendentiales omnem realitatem in se continentes, uti sunt ens eiusque synonyma ac proprietates (unum, verum, bonum).

Conceptus a Dobszewicz considerantur non in suo fieri, sed in facto esse, in seipsis, in sua actuali realitate in mente, in quantum fructus sunt simplicis apprehensionis mentalis aliquod obiectum cognoscentis repraesentantisque seu veluti illud in se concipientis.

Conceptus qua mentis actus interni, ut aliis innotescere possint, ad extra exprimi indigent per externa signa, vocabula, terminos vocales locutionis sermonisque humani. Praecipua conceptuum signa sunt subiectum et praedicatum, e quibus quaelibet enuntiatio et propositio verbalis constituitur.

Ad discordias discrepantiasque in collocutionibus et disputationibus vitandas distinguendae sunt terminorum significationes, ut recto modo adhiberi possint. Hinc terminorum explicatio in expositione vel disputatione occurrentium ad primarium logicae munus pertinet.

### c) Logica iudicialis (de iudicio):

E conceptuum vocabulorumque consortio altera enascitur mentis functio – iudicium eiusque in sermone expressio, enuntiatio seu propositio. In hoc capitulo explicantur praecipue notiones iudicii, veritatis falsitatisque, veritatis criterii ac certitudinis.

Primum abunde tractatur de externa iudicii expressione in aliqua enuntiatione, propositione, sententia. In particulari consideratur propositionum diversitas, aequipollentia, contrarietas ac transmutatio unius in aliam. Accuratius exponitur momentum copulae subiectum cum praedicato vincentis pro determinanda et dignoscenda natura ac qualitate propositionis, ad discernenda dicta affirmativa a negativis, vera a falsis, necessaria a contingentibus.

Propositionis quaestione expedita in quaestionem venit iudicium quatale, qua interna mentis operatio, tum in sua notione (generica, specifica), tum in relatione ad veritatem ac certitudinem.

In veritatis conceptu tres eius significaciones distinctae sunt, scilicet veritas obiectiva (ontologica – rerum), veritas moralis (in collocutione humana) et formalis (stricte logica) qua cognitionis eiusque elementorum conformitas cum obiecto cognito. Huic ultimae opponitur falsum errorque, a quibus cognitio tuenda est. Indagandi sunt proinde errorum fontes eorumque remedia: melior attentio cognoscitiva ac reflexio mentalis.

Veritatis criterium in evidentia obiectiva repositum est, quae tres admittit gradus. Potest esse metaphysica, physica et moralis.

Cognitio evidens certitudinem gignit logicam, quae pariter non unius eiusdemque est gradus, sed metaphysica, physica, mathematica atque moralis. Summa evidentia ac certitudo necessitatem cognoscitivam secum fert, omne dubium omnemque errorem excludens. Moralis autem certitudo ad spheram verisimilitudinis probabilitatisque pertinet, quae errandi periculum non removet. Non est tamen spernenda, quia cognitio humana perfectam certitudinem non semper attingit.

#### d) Logica discursiva (de ratiocinio):

Quaestionum motarum conspectus: ratiocinii et syllogismi notio; syllogismi figurae et modi; syllogismi imperfecti ad perfectum reductio; immediata consequentia (illatio) eiusque leges; ratiocinium demonstrativum et fallacie sophisticae.

Ratiocinium seu discursus mentalis tertia est mentis operatio simulque validum veritatis inquirendae ac inveniendae instrumentum, cui tributae sunt 60 paginae textus. Eius praecipua forma verbalisque expressio est syllogismus, qui potest esse simplex et compositus, minore vel maiore numero assertionum constans. Elementa ratiocinii – syllogismi constitutiva – vocantur praemissae et conclusio vel antecedens et consequens. Necessaria est quoque consequentia seu profluentia conclusionis vel consequentis ex praemissis vel antecedente.

Explicatae sunt quattuor syllogismi figurae earumque leges nec non immediata inter assertiones consequentia et consecutio (illatio sine discursu).

Plus spatii attentionisque ratiocinio demonstrativo datum est, cuius praecipuae formae indicatae sunt duae: demonstratio a priori et a posteriori seu deductio et inductio. Utraque non tam veritati cognitionique augendae inservit, quam iis in tuto ponendis certioribusque reddendis. Ratiocinia etiam fallacia et illusoria (sophismata) non unius sunt generis. Possunt enim esse fallaciae in dictione et extra dictiōnem seu in sola mente cognoscente. Contra quas remedium optimum est distinguendi scientia, aptitudo ususque.

e) Logica methodologica (de methodo):

In quinta logicae parte sermo est de methodo eiusque speciebus ac regulis. Methodus definita est: „ordinatus modus ignotam veritatem inquirendi declarandique iam cognitam”. Hinc fluit methodi divisio in duas species: analyticam, inquisitivo-inventricem et syntheticam – expositivam seu doctrinalem. Utraque ad suum successum exigit aptam terminorum quaestionumque motarum definitionem.

Methodus veritatis inveniendae in praxi duobus perficitur modis: meditatione scientifica – mentis applicatione ad aliquod problema dilucidandum sincere et obiective atque lectione studioque textuum alienorum, ut apte intelligantur. Methodus autem vertitatis tradendae docendaeque errores grassantes detegere et reicere curat, ut recta sententia in luce ponatur. Hoc autem practice perfici potest discussione domestica vel disputatione scholari adhibita.

f) Logica exercitii:

In ultima logicae parte plures scholasticae disputationes collectae sunt, in scholis SJ traditionales, de variis philosophicis problematibus ad ea dilucidanda vel iustificanda. Quarum concertationum duae saltem personae participes sunt, scl. defendens oppugnansque cum cuiusdam moderatoris assistentia. Disputatio modo prius stabilito procedit et evolvitur. Defendens thesim seu quaestionem disceptandam primum annuntiat, deinde terminos in ea occurrentes explicat, postea sententias de ipsa prolatas adducit, demum apertis argumentis thesim probare contendit. Cui oppugnans opportuna contrargumenta opponit una cum difficultatibus contrariis, ad quas solvendas ex ordine defendens accedit. Tali modo de pluribus logicae quaestionibus disputatum est – ad methodum scholasticam declarandam et commendandam.

## **Metaphysica**

Metaphysica apud Dobiszewicz brevissima est omnium philosophiae disciplinarum. In 4 capitulis praecipuae ideae quaestionesque ex

ontologia, etiologia et cosmologia, psychologia ac theologia naturali solummodo adumbrantur. Metaphysica definitur „scientia eorum, quae communia sunt entibus corporeis et incorporeis”. Constituitur igitur notionibus pluribus rebus communibus, notas, quae res diversas faciunt, attendit et axiomata pro aliis scientiis elaborat.

### 1) Metaphysica ontologica:

Ontologia concepta est ut scientia entis qua talis eiusque proprietatum, cuius est communissimas explanare notiones regulasque pro aliis scientiis directivas (principium contradictionis et rationis sufficientis). Entis nomine intelligitur „quodcumque est possibile quomodocumque” et „quidquid ad existendum est aptum”.

Maxime fundamentales ontologiae notiones sunt duae: possibilitas et impossibilitas eiusque species: logica et metaphysica, interna et externa, physica et moralis. Possibilitas praecedit ens qua tale. Praeter ens reale agnoscitur ens rationis, solum in mente obiective praesens (negatio, privatio, universalitas qua talis). In plena entis notione plures notae continentur: entis essentia, eiusque affectiones, attributa, modificationes et existentia tamquam secundarium elementum, non necessarium, a causa dependens. Distinctio modalis adesse cernitur inter tres entis status: possibilitatem, actualitatem ac subsistentiam, quae igitur ad substantialitatem individuam non superaddit positivam realitatem, sed solam dependentiae ab extra negationem. Possibilitas interna per se explicatur, non fert secum dependentiam ab omnipotentia et libera Dei voluntate.

### 2) Metaphysica etiologico-cosmologica:

In hoc capitulo preeprimis causalitatis conceptus eiusque species explicantur, deinde causalitatis realitas in mundo creato fortissime propugnatur et defenditur contra veteres modernosque scepticos et occasionalistas, contra Cartesium et Malebranche. Causa in quinque species divisa est: materialem, formalem, efficientem, finalem et exemplarem, ast cum diverso causandi modo, physico vel morali. Physicus causandi modus tributus est causae materiali, formali et efficienti, duobus reliquis (finali et exemplari) vero – modus moralis.

Proprie dicta activitas competit – putat Dobszewicz – omnibus corporibus et non soli animae humanae. Non datur tamen efficientia (actio) in distans. In corporis naturalis structura Auctor pluralitatem conspicit elementorum componentium, in qua Aristotelica constitutiva corporis, materia nempe et forma, apte conciliari ipsi videntur cum atomis a modernis physicis antiquisque philosophis postulatis, quae ad instar

materiae primae haberi possunt. Quae componentia modaliter secum coniungi asserit.

### 3) Metaphysica psychologica:

In hoc capite de animae existentia ac natura agitur. In particulari eius immortalitas investigatur, genesis, unio cum corpore, ipsiusque facultates ac functiones. Anima humanae realitas non parat Auctori ulla dubia sicut etiam eiusdem immortalitas naturalis ipsi, ex eius natura profluens qua substantiae immaterialis, spiritualis ac simplicis, sine partibus constitutivis. Quare origo eius explicari nequit nisi per creationem a Deo infusionemque corpori iam evoluto aptoque unioni cum ipsa.

Peculiares psychologicae conceptiones Dobszewicz duae sunt: una tenet unionem commerciumque animae cum corpore per sic dictum „influxum physicum” una cum „residentia” animae alicubi in cerebro iuxta Cartesii opinionem. Altera admittit tres animae facultates active conceptas, praeter intellectum voluntatemque libertate praeditam etiam memoriam, praeterita reminiscendi virtutem, quae facultates animis quoque a corpore separatis (post mortem) competit.

Per analogiam ad animam humanam considerata est per transennam anima animalis eiusque activitas, quae in multis similis est humanae.

Psychologiae rationali, stricte philosophicae, adiecta sunt quaedam puncta de psychologia empirica seu experientia innixa. Dictum est scl. de phantasia eiusque momento in cognitione humana, de phantasmatum connexionibus earumque legibus atque de sensibus externis eorumque perceptionibus tamquam animae corporisque operibus communibus.

### 4) Metaphysica theologica:

In hac minima metaphysicae parte de Dei existentia et natura tractatur, quatenus mere naturaliter seu solo mentis humanae lumine cognoscibilis est. In specie expositae sunt quaestiones: atheismi, omnipotentiae Dei ac Providentiae erga mundum creatum nec non angelorum problema.

Contra plures citatos atheos demonstrata est naturalis Dei cognoscibilitas, Eius existentiae praeprimis, duobus potissimum argumentis propositis eductisque e mundi realitate et ex universali persuasione humana omnium nationum omni tempore permanente de alicuius supramundani Numinis seu Dei existentia.

Omnipotentia divina sufficienter manifestatur – putat Dobszewicz – in tribus Eius operibus ad extra: in mundi creatione, eius continua

conservatione atque concursu cum omnibus creaturarum actionibus et quidem concorditer cum libertate creata, non autem per modum praedeterminationis physicae ad mentem Dominici Bañez.

### **Physica philosophica**

Quae duas induit species: physicae generalis et particularis. Generalis physica valde est brevis. In paucis paginis considerat realitatem, structuram et proprietates corporum, itemque motus, loci ac temporis realitatem et naturam.

Physica particularis diffusa est plurimis in paginis pluresque in se continet tractatus, qui nunc temporis neque ad physicam nec ad philosophiam amplius pertinent, sed peculiares constituant scientias. Sunt autem: cosmologia physica (de universo), uranologia (de coelestibus corporibus una cum quaestione de mundi systemate), „stechiologia” (de elementis mundi constitutivis: igne, aëre, terra et aqua – secundum illius temporis opiniones), „meteorologia” (de meteoris prout illo tempore concipiebantur), phytologia (de plantis) et zoologia (de animalibus brutis).

Quae omnia potius experimentaliter et descriptive tractantur quam proprie philosophice. Explicantur vero mechanistice secundum Cartesii doctrinam, phaenomenis organicis exceptis, quorum radix in anima qua substantiali forma reponitur et quidem „spiritualisata” quadantenus. Adsunt ergo conamina aristotelico-scholasticam traditionem cum modernioribus conceptionibus componendi, quorum est veritatem nondum plene manifestam melius illustrare magisque probabilem reddere. Quae Auctoris tendentia inter alia apparuit in eius relatione ad systemata mundi, ad tres hac in re secum concertantes conceptiones: geocentricam Ptolemei, heliocentrismum Copernicanum et Tychonis de Brahe sat complicatam hypotheses ambas priores opiniones secum coniungere satagentem. Scientifica preeponderantia in Copernici heliocentrismo agnita, securitatis tamen causa Tychonianam sententiam propriam fecit, donec aptam solutionem obtinebit haec disputabilis quaestio.

### **IV. Recapitulatio – animadversiones concludentes**

Ex supradictis appareat Benedicti Dobszewicz doctrinam via quasi media scholasticam traditionem inter recentioresque philosophicas tendentias progredi conari, ideas veteres cum modernioribus, proprie philosophicas cum scientificis coniungens simul, sicuti et diversas methodos, i. e. synthetico-syllogisticam philosophiae scholasticae una cum analytico-inductiva experimentalium scientiarum. Quare non semper suam unitatem sive uniformitatem servare valet.

Insuper sufficienter autonoma non est, solis intellectualibus rationibus argumentationisbusque innixa. Ubi enim ratio naturalis deficit, non semel ad alios etiam sciendi fontes recurrit, biblico-theologicis non exceptis, multoties ad divinam provocans revelationem et ad Ecclesiae doctrinam. Ad humanas quoque auctoritates vere multas recurrit ex omnibus fere temporibus, inter quas praeprimis potissimumque Aristotelem, Ciceronem et Augustinum ex veteribus invocat, ex modernis vero Cartesium, Wolffium ac Fortunatum a Brixia.

Hoc igitur modo, eclectica quadam methodo, usus est Dobszewicz ad philosophicam doctrinam, in scholis Societatis Jesu cultam propagatamque, suis contemporaneis, iuvenibus praesertim studentibus, quos et ipse docebat, magis accessibilem intelligibilemque reddendam nec non in cotidiana vita utilem faciendam – iuxta tunc vigentis Illuminationis periodi axiomata et mandata. In evolutione scientiarum in Polonia bene meritus videtur dignusque ergo nova scientifica attentione scriptaque memoria.

**Franciszek BARGIEŁ SJ****BENEDYKT DOBSZEWCZ SJ (1722–ok. 1794)  
A ODNOWA JEZUICKIEJ FILOZOFII W POLSCE  
W DRUGIEJ POŁOWIE XVIII WIEKU**

Powyższy tekst w języku łacińskim jest streszczeniem rozprawy Autora, która ukazała się po polsku pod powyższym tytułem w pracy zbiorowej: *Studio z historii filozofii. Księga Pamiątkowa z okazji 50-lecia pracy naukowej Ks. Profesora Pawła Siwka SJ*. Pod red. R. Darowskiego, Kraków 1980, s. 146-206.